



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio III. De Termino seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](#)

non scribantur, vel non sint scripti, vt pluribus Vasquez cit. quest. 24. art. 3.

Illud vero Moysis Exod. 32. v. 32. *Aut dimittis hanc noxiam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, inter alias explicationes, quas habet Vasquez loc. cit. meo iudicio optimè intelligitur per hyperbolem seu exaggerationem, vt indicat etiam Augustinus in Exod. quest. 147. ad declarandam vim amoris erga populum; quo modo amantes, cum enixissimè rogare volunt, dicunt, Aut fac hoc, aut occide me, quia sine eo vivere non possum; probè gnari, id quod petitur, nuncquam futurum. In quem sensum etiam locuta est

Rachel Genes. 30. v. 1. *Da mihi liberos, alioqui moriar.*

Ad eundem modum accipi potest illud Apostoli Rom. 9. v. 3. *Opebam ego ipse Anathema esse à Christo, pro fratribus meis*: quanquam hoc cum S. Anselmo, Caietano, in eundem locum, & Bartholomæo Camerario in dial. cap. 6. rectius ita explicet Vasquez, vt Paulus loquatur de tempore, quo adhuc erat in Iudaismo; quo serio plane ipse zelo Iudaicæ legis, & amore fratrum, à Christo perpetuo separatus esse cupiebat; ratus, Christi doctrinam legi diuinæ contraria esse.

Q V A E S T I O III.

Determino seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 2. 4. 5. & 8.

AB soluetur hac quæstio tribus dubitationibus. I. *An dona omnia & bona supernaturalia Prædestinati sint effectus Prædestinationis.* II. *An bona etiam quedam naturalia Prædestinati, qualia sunt eius existentia, vita, valetudo, vires, &c. sint effectus Prædestinationis eiusdem.* III. *An mala etiam quelibet eiusdem, tum pæna, tum culpa; aut saltem permisio culpa, sint effectus Prædestinationis.*

D V B I V M I.

An dona & bona omnia supernaturalia Prædestinati, sint effectus Prædestinationis.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 1. & 2.

Explícata natura Prædestinationis, merito de eius effectibus prius agimus, quam de causis: tum quia tractatio de effectibus facilior est; tum quia cognitio causarum multum pendet ex notitia effectuum, eamque supponit. Et quod in rebus naturalibus accidit, vt ex cognitione effectuum rimemur causas earundem; id etiam in hac materia vñsuuenit. Et tametsi S. Thomas nullam inquisitionem peculiarem de effectibus instituerit, sed sparsim solum & incidenter quādam de ijs attingat locis cit. quasi nimurum iij per se satis noti essent, ex natura prædestinationis; nihil minus tamē ob controversias quasdam iuter recentiores Theologos hac de re ortas, necessarium est, eam ex instituto persequi & explicare. Sermo est autem de effectibus Prædestinationis in genere cause efficientis; non materialis, aut formalis, seu finalis; nisi quatenus internus actus diuinæ prædestinationis est ipse Deus, qui simus est & causa efficientis, & finalis omnium effectuum suorum.

Vocatur autem effectus prædestinationis, etiam terminus eiusdem, & obiectum Quod, vt distinguatur ab obiecto, vel subiecto Cui, quæ est persona ipsa, quæ prædestinatur; iuxta ea, quæ diximus quest. 1. dub. 1. & quest. 2. dub. 1. Vbi

tamen hoc discriminis est inter prædestinationem & prouidentiam; quod ipsa etiam existentia subiecti prædestinari potest esse obiectum Quod prædestinationis, & effectus; non autem prouidentia, vñdicetur dubio sequenti. Possunt autem omnes effectus Prædestinationis in tres ordinēs distribui, rerum supernaturalium videlicet, bonorum naturalium, & malorum; de quibus ordine singulis dubijs agere propofuimus.

Supponimus autem generatim primo, Prædestinationem plane habere aliquos effectus; seu quod idem est, esse causam efficientem quorundam effectuum, qui ex ea consequuntur: siue eos causet per physicam efficientiam, immediate a gendo ad extra; siue potius quasi per moralem & artificiosam, per modum scilicet dirigentis, aut impellentis potentiam executivam, immediate ad extra operantem; pro communi scilicet ratione causandi diuini intellectus & voluntatis, de qua egimus disputatione præcedenti, questione vñdecima. Tradunt hoc fundamentum omnes Theologi in prim. d. quadragefima & quadragefima prima, & S. Thomas hic artic. 2. & est expressa doctrina S. Augustini, de Prædestin. sanct. cap. decimo, & de bono perseverantia cap. 14. & sumitur ex Apostolo ad Romanos 8. verbu 28. scimus autem, quoniam diligentibus D E V M o m i a

coope-

cooperatur in bonum, q̄s, qui secundum propositionem operari sunt sancti. Nam quos preservat, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, et scilicet primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos vocavit, et quos vocavit, hos insificavit, quos autem insificavit, illos glorificavit. Vbi effectus prædestinationis in ordine rerum supernaturalium ordine & distincte referuntur. Et ratio est. Quia Prædestinationis consistit in scientia approbationis seu actibus intellectus, & voluntatis divinae, efficaciter aliquid fieri aut esse deponentibus, qui sunt causa rerum, ut dictum quæstione præced. dub. 2. & generatim supra disp. 2. quæst. 8. & 10.

4 Supponendum secundo, ad effectum Prædestinationis, generatim loquendo, plus non requiri, quam haec quatuor. Primo ut sit effectus Dei; cum enim Prædestinationis sit actus Dei, nihil potest esse effectus Prædestinationis, nisi etiam sit effectus Dei. Id quod aperte etiam docent SS. Patres. Augustinus de prædestin. Sanct. capite 10. Prædestinatione, inquit, Deus ea preservit, qua fuerat ipse factura. Et Fulgentius libro secundo ad Monimum initio: *Prædestinationis nihil aliud est, nisi preparatio operum eius.*

Secundo, ut aliquo modo pertineat ad Prudentiam Dei supernaturalem; bonum scilicet aliquid supernaturale Prædestinato cupientis aut procurantis, sive intendentis. Siquidem ipsa etiam Prædestinatione cum ad supernaturalem beatitudinem homini efficaciter procurandam tendat, ad supernaturalem utique Prudentiam Dei pertinet. Quam ideo etiam Augustinus libro de Prædest. Sanct. capite decimo, vocavit *gratia preparationem*; sive interim haec gratia sit ex meritis Christi, sive non, de quo inferius quæstione sequenti agendum. Quanquam de facto ex veteri sententia, quam hic supponimus, omnis gratia est ex meritis Christi, si non ut Redemptoris, saltem ut Salvatoris in genere, ut dicetur quæstionis sequent. dub. 2. & 7. & docetur suo loco de Incarnat. & sapientiam significat Augustinus libro de prædestin. sanct. & de bono perseuerant. & epistola 95. vbi ait: *Hanc Apostolica doctrina gratiam hoc nomine appellat, qua salvamur & iustificamur, ex fide Christi.* Similia habentur in Concilio Mileuitano & Africano.

5 Tertio, ut ex particuli & efficaci intentione, perducendi hunc vel illum hominem ad gloriam, proficiatur. Ex quo sequitur CHRISTI Incarnationem, Passionem, Sacramentorum institutionem, si haec secundum se, & in genere spectentur, non esse effectus Prædestinationis, saltem particularis, huius, vel illius; sed potius generalis prouidentia supernaturalis; prouenientes ex antecedenti voluntate salvandi omnes, ut ex probabiliori recte Suarez libro tertio de Prædestin. capite secundo numero octavo, & Valsquez disputatione 94 numero 37. licet alterius loquantur, Durandus in 3. dist. 1. quæstion. 3. Molina quæst. 23. art. 5. d. 2. & Gregorius de Valentia hic quæst. 23. p. 4. §. 1. Secus est, si loquamus de quibusdam peculiaribus Christi opera-

ribus, ex speciali Christi intentione efficaciter, huic vel illi applicatis: quia hac applicatio supponebat electionem diuinam eiusdem prædestinationis, ut recte Suarez libro secundo capite 24. numerotrigesimo secundo, & inferius magis patet quæstione sequenti dubio secundo. Secus est etiam de applicatione efficaci generalium illorum remediiorum, ut dicatur.

Quarto, ut vel ipsa actualis consecutio vita eterna, vel cum effectu, aliquo modo conferat ad salutem eternam consequendam: si enim nihil conferat, Prædestinationis effectus non erit, quæ eo tota & unice tendit, ut homo denique prædestinatus salutem re ipsa consequatur, ut constat ex eius definitione: & quicquid extra hunc effectum, qui est actualis consecutio eius finis, operatur, id totum operatur in ordine, ad eundem finem efficaciter prædestinato procurandum.

His positis, quod ad presentem dubitationem attinet, in qua de rebus duntaxat supernaturalibus agitur, in quibus præcipue sunt, vocatio congrua, fides, iustificatio, perseverantia & glorificatio, quinque sunt Doctorum sententias; omnifolio illo, iam dudum damnato, & alibi refutando, veterum Pelagianorum errore, qui vt peccatum originale, & gratiam Vocationis ac iustificationis penitus negarunt, ita nullam agnoverunt prædestinationem ad eiusmodi griam, sed solum ad gloriam; ut videtur est apud Augustinum lib. 14 de prædest. Sanct. c. 18. & lib. de gestis Pelagi cap. 35. & in Concilio Carthaginensi epist. Synodal ad Innocentium I. Prima sententia est Durandi in 1. d. 41. quæst. 1. num. 10. qui significat, sola media ad finem supernaturalem, non autem ipsam affectionem Beatitudinis, per se ac propriè esse effectum Prædestinationis: cum prædestinationis sit pars prouidentiae, versatilis tantum circa media. Idem tamen quidam recentiores, & fauet non nihil S. Thomas, hic quæst. 23. art. 4. cum ait, *Prædestinationem supponere dilectionem & electionem ad gloriam.*

Secunda sententia est Ockami in 1. d. 41. & Gabrieli dist. 40. art. 1. & dist. 41. art. 1. qui docent, Prædestinationis effectum propriè esse solam affectionem beatitudinis, non vero media; sive quod haec communia sicut etiam non prædestinatis, sive potius quod Prædestinationis sit solus gloria; media autem ad Electionem pertineant. Quo modo Gabriel cit. art. 1. ex Cameracensi Prædestinationem definit, *Propositum diuinum datus utram eternam.*

Tertia sententia est, Vocationem non esse effectum Prædestinationis; sed Prædestinationem incipere à Iustificatione permanente usque ad mortem. Quam sententiam Valsquez disput. 93. num. 2. tribuit S. Bonaventura in 1. d. 41 art. 1. quæst. 1. Sed bene Suarez hic lib. 3. cap. 5. num. 3. negat, se hanc sententiam inuenisse apud Bonaventuram, vel alium auctorem, saltem expresse. Fauet tamen non nihil Bonaventura, quatenus *gratificationem*, quam Prædestinationis effectum in hac vita constituit, asserit aliquo modo cadere sub merito prædestinati.

Quarta.

⁸ Quarta sententia est aliorum, qui distinguunt duplēm Prædestinationem, vnam ad gratiam, alteram ad gloriam; & huius proinde effectum volunt esse gloriam, illius gratiam. Ita Turrianus opusc. de elect. seu prædest.

Ab his omnibus differt quinta, & vera sententia, sequentibus assertionibus explicanda.

Assertio I. Prædestinationis effectus non est sola gratia, sed etiam gloria. Est contra primam sententiam, quæ non solum aduersatur ceteris omnibus Scholasticis antiquis in 1. d. 40. & 41. & expressæ etiam S. Thomæ hic quest. 23. art. 5. vbi gloriam inter effectus prædestinationis refert; sed etiam à recentioribus communiter rejecitur, vt videre est apud Gregorium de Valentia hic q. 23. punct. 3. Molinam hic quest. 23. art. 2. disp. 3. & art. 5. disput. 1. memb. 6. Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 5. & lib. 3. à cap. 3. Bellarminum libro 2. de grat. cap. 15. Bannem hic quest. 23. à 2. Zumel ibid. disp. vn. Vasquez disp. 91. cap. 4. & disp. 93. cap. 1. qui licet recte notet, cam non tam rei; quam vocis questionem esse; & vero etiam alias Prædestinationem existimari, immedietate solum ad gratiam terminari; nihilominus tamen recte concedit, consecutionem quoque gloriae eius quendam effectum esse; non quod ut ipse putat, ad eam immedietate termineretur, sed quia ex immedieto eius termino seu effectu, quies gratia, sequitur: & addit, sententiam Durandi communimodo loquendi Scholasticorum & Patrum aduersari; omnesque ceteros Scholasticos vocare effectum Prædestinationis, ipsam gloriae consecutionem.

Probatur assertio ex Scriptura. Nam de Prædestinatione ad gloriam, veluti effectum, loquitur Apostolus Rom. 9. v. 23. *Vt ostenderet diuitias gloria sua in vas misericordia, qua preparauit (seu prædestinavit) in gloriam.* Et rursum Roman. 8. v. 30. inter alios effectus Prædestinationis refert etiam gloriam: *Quos autem prædestinavit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; & quos iustificauit, illos & glorificauit.* Conscientiunt S. Augustinus relatus quest. præced. dub. 1. B. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam Scotum sæpe, & passim alij SS. Patres. Ratio est. Tum quia ipsa etiam consecutio finis est effectus Prouidentiæ, sicuti hæc ex medijs prouisus re ipsa prouenit, ut quest. 1. dub. 3. huius disputationis dictum. Tum quia negari non potest, ex preparatione seu prædestinatione gratia consequi adoptionem gloriae: quod autem est causa causæ, est etiam causa causati, vt etiam hic quest. 1. dub. 1. argumentati fumus. Deniq; ipsa etiam beatitudine habet rationem medijs respectu ulterioris finis, qui est gloria Dei. Neque his aduersatur S. Thomas, cum ait, Prædestinationem supponere electionem & dilectionem; non enim ideo negat Prædestinationem etiam tendere ad gloriam; neque prædestinationem ab electione distinguit ex parte obiecti, sed actus, vt declarauimus questione præcedente dub. 3.

Assertio II. Prædestinationis effectus non est sola gloria, sed etiam gratia; adeoque non solus

finis, sed etiam media. Hæc assertio, si de re ipsa loquamur, esse nimur supernaturali Dei ordinatione & prouidentia gratiam homini in hac vita destinatam, tanquam necessarium medium ad salutem æternam consequendam, est de fide ex multis Scripturæ testimonijs, & Concilijs, præsertim ex Concilio Carthaginensi, Mileuitano, & Araucano II. contra supradictam Pelagij heresim, quam ex instituto multis libris egregie confutauit & conuicit S. Augustinus, speciatim de natura & gratia libro uno; de gratia Christi, & peccato originali, contra Pelagium & Cœlestium, libris duobus; de nuptijs & concupiscentia libris duobus; contra duas epistolulas Pelagianoram ad Bonifacium libris quatuor; contra Julianum Pelagianum libris sex; de Prædestinatione & gratia libro uno, &c. Sed quia res hæc ad 1. 2. & materiam de gratia pertinet, non est hoc loco, ne materias ipsas confundamus, & ordinem tractandi peruerteramus, fusius persequenda.

¹¹ Si vero, quod ad præsens institutum propriè pertinet, supposita existentia ac necessitate gratiæ, de modo potius loquendi, quam de re ipsa sermo sit, an gratia sit etiam dicendus effectus prædestinationis, an potius alterius cuiusdam decreti seu ordinatio diuinæ, puta prouidentie, electionis, &c. assertio quidem supra dicta ad fidem non pertinet; sed est tamen nihilominus à Theologis tum antiquis, tum recentioribus communiter recepta; speciatim à S. Thoma hic quest. 23. art. 2. ad 4. & ab alijs, quos pro prædenti assertione commemoarui; adeo ut opposita sententia quad modum loquendi falsa, & Scripturæ, ac SS. Patribus, speciatim Augustino, contraria merito pronuntiatur; qui libri paulo antea citatis in eo totus est, ut Prædestinationem ad gratiam aduersus Pelagium asserat & defendat; ac propterea frequenter & expressè etiam in descriptione & appellazione Prædestinationis gratiæ meminit; quando & ipsam prædestinationem definit, *gratia preparationem* libro 1. de prædest. sanct. cap. 10. vel generatim *præsentiā beneficiorū Dei*, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur, libro 2. de bono perseuer. cap. 14. ut dictum supra questione præcedente dub. 3. sub fin. & quest. 2. dub. 1. vbi plura Sancti Augustini testimonia reculumus. Cui etiam consentiunt Prosper epistola ad August. & Fulgentius lib. 1. ad Monimum.

¹² Idem patet ex Scriptura, Ephes. 1. versu 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Et versu quarto. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, &c.* Rom. 8. versu 29. *Quos preservauit & prædestinavit, conformes fieri imagines filij sui:* consistit autem hæc conformitas, tum in adoptione per gratiam; tum in acquisitione eiusdem hæreditatis ac felicitatis per gloriam. Et mox ibidem inter effectus prædestinationis numeratur etiam gratia. *Quos autem prædestinavit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit, &c.* Ratio est; tum quia Prædestination est pars quædam Prouidentiæ; cuius vel maximè est, prouidere de medijs ad finem, eaque procurare. Tum quia cum Præ-

destinatio sit decretum Dei efficax perducendi hominem ad gloriam, necessario etiam secum trahit executionem mediorum ad eandem; quæ proinde necessario effectus quidae prædestinationis sunt & dici debent, sicut efficax intentio aut destinatio finis semper necessario secum trahit executionem mediorum; nisi hæc ab intrinseco impediatur; quod in præsenti de Deo dici non potest. Accedit, quod Prædestination ex vñ loquendi, & spectando etiam proprium ipsius terminum, non est solius gloriæ, sed vel maximè etiam gratiæ, vt dictum supra questione z. dub. i. Ex quibus etiam patet responsio ad fundatum opposita sententia.

13

Affirmatio III. Prædestinationis effectus non est sola gratia Iustificationis, sed etiam gratia præueniens & excitans; & vniuersim omnia auxilia gratiæ particularia, quibus vñusquisque prædestinatus beatitudinem consequitur: sive ea sint: homini prædestinato intrinseca, adeoque vera qualitates ipsi inherentes; sive extrinseca; & rursum sive sint intrinsecè supernaturalia, sive extrinsecè tantum, ex fine, ad quem ex diuina voluntate efficaciter referuntur; vt sunt actiones moraliter bonæ, & opportunitates interdum extrinseca, ac temporales ad bene operandum, diuina benignitate efficaciter ordinatae ad salutem hominis prædestinati. Ita contra tertiam sententiam superioris relatam communiter Doctores in. 1. dist. 40. & 41. & consentit S. Thomas hic q. 23. art. 5. & ex recentioribus Gregorius de Valencia, Molina, Bellarminus, Suarez, Bannes, Zumel, locis citatis assert. i. & fere Vasquez disp. 94. cap. 5. vbi docet, non solum vocationem & iustificationem cadere sub prædestinationem nostram, sed etiam signa externa, item prædications, & remotiones impedimentorum, quibus nostra vocatione præparata fuit; at vero orationes & merita iustorum, quibus impetrant gratiam alij, negat pertinere ad effectus prædestinationis eius, cui gratiam impetrant: quod nec satis consequente dici videtur, & S. Thomas hic q. 23. a. 8. repugnat, & alij argumentis refellitur, vt dicemus.

14

Probatur assertio ex Scriptura, Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit.* Vbi expressè inter effectus prædestinationis recensetur non solum Iustificationis, seu gratia iustificans, sed etiam vocationis, seu gratia vocans & excitans. Idem colligitur ex illo Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Et Matth. 24. v. 22. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Idem patet ex doctrina & definitionibus à S. Augustino de prædestinatione traditis, in quibus vniuersim de diuina gratia, & beneficijs diuinis loquitur. Optimè etiam Fulgentius libro primo ad Monimum cap. 8. & 10. *Omnia, inquit, & vocationis nostra initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit.*

15

Ratio sumitur ex notatione sive suppositione secunda, initio præmissa, quia cum prædestinatione sit decretum seu ordinatio, quæ per certa & à Deo destinata media homo perducitur ad beatitudinem, negari sanè non potest, omnia eiusmodi

media, quibus hic finis obtinetur, ad Prædestinationis effectus pertinere; saltem quæ, vt dictum, vñ modo inter gratiæ diuinæ dona recenseri possunt; qualia vtrique sunt omnia auxilia gratiæ excitantis & præuenientes; etiam si quædam extrinseca sint homini, vt bonorum sociorum consuetudo, prædicatio opportuna Verbi Dei, libri spiritualis opportuna prouisio, aut lectio, opportuna & salutaris administratio sive applicatio Sacramentorum; preces item piorum pro aliquo ad Deum effusæ, ostentia alicuius diuini, seu terrifici eventus salutaris & ad pietatem promouens conspicet, &c. vt suo loco de gratia fusius explicandum est.

Ex quibus etiam actus eiusmodi alieni & prædestinato extrinseci, sive vtrique, & huic prædestinato, & ipsi etiam operanti efficacia media salutis, adeoque effectus prædestinationis vtriusque personæ est possunt, vt bene Suarez hic libro 3. de prædest. cap. 5. num. 17. & aperte Richardus in 1. d. 41. art. 2. quæst. 1. vbi ait: *sub effectu prædestinationis comprehenditur omnis actus promouens prædestinatum ad salutem, sive sit actus proprius, sive alterius.* Unde oratio unius, qui innat aliis ad consequendam salutem, comprehenditur sub effectu prædestinationis illius. Idem habet Heraeus in 1. d. 41. quæst. 1. art. 1. in fine. Idem docet S. Thomas hic q. 23. art. 8. vbi inter effectus prædestinationis numerat *Orationes* non solum proprias, sed etiam *aliorum.* Et ibidem ait, *prædestinationem innati (nempe quoad effectum) precibus sanctorum.* Quod autem obicit Vasquez loco citato hac ratione dicendum fore, etiam ipius Christi merita esse effectum nostræ prædestinationis; iam superius dub. prim. sati dilutum est: quia merita Christi non proueniunt ex intentione particulari salutis huius vel illius, sed vniuersim salutis omnium: quare licet suo modo effectus dici possent in communi prædestinationis omnium, non tamè particularis prædestinationis huius aut illius de qua loquimur.

Neque vero recipienda est distinctio Gaudensii Quodlib. 4. quæst. 19. & Quodlib. 8. quæst. 5. asserentis, actus quidem supernaturales, quoad influxum gratiæ, & ipsius Dei, esse effectum Prædestinationis; quoad cooperationem veroli beri arbitrij non esse. Quia vt recte S. Thomas hic quæst. 23. art. 5. Suarez libro tertio cap. 5. numero quarto, & alij, ipsa etiam cooperatio nostra est à Deo per gratiam præuenientem, vt suo loco patebit.

In particulari autem querere, an omnis gratia efficax, item an omnia opera etiam mortificata, omnisque gratia sanctificans, etiam semel amissa, sint effectus prædestinationis, id ex eo fere penget, An & quomodo opera bona mortificata reliuiscant, de qua non est hoc loco, sed in materia de penitentia disputandi locus. Satis est in proposito, hæc duo seire. Primum est, dari in prædestinationis omnibus adultis peculiarem quandam gratiam Vocationis efficacem, prædestinationis propriam, quæ respectum habet ad finalem perseverantiam ipsius prædestinati: de qua Augustinus libro de prædest. sancti. capite decimo sexto. *Non illa vocati sunt, de qua dictum est;*

Multi

Muli vocati: sed quæ vocantur electi. Quam etiam ibidem ait ab Apostolo Rom. 8. vocari, vocationem secundum Dei propositum, deque ea multis disputat libro primo ad Simplic. quæst. 5. dub. 1. Alterum est, omnia auxilia gratiæ, omniaque opera bona hominis prædestinati, que ipsi efficaciter conducunt & conferunt ad salutem aeternam re ipsa consequendam, effectus prædestinationis esse; vt in conclusione diximus: si quæ vero ad eum finem nullo modo conducunt, non esse effectus prædestinationis, sed communis prouidentiæ. Interim quoad operam mortificata attinet, suppositis ijs, quæ in materia de pœnitentia docui, & defendi disputat de eadem thesi 76. dicendum plane est, ea esse effectus prædestinationis: quia, vt ibidem dixi, omnia opera mortificata per pœnitentiam reuiniscunt, adeoque efficaciter conducunt ad beatitudinem prædestinati; quanquam etiam absque eo, alia ratione, conducere possunt, scilicet per modum bona dispositionis, habilitantis ad bene operandum alia per modum exempli, aut occasiois adducentis alios, aut ipsum prædestinatum, ad alia opera salutaria peragenda, &c. vt rectè Suarez loco citato.

¹⁸ Assertio IV. Distinctio duplicitis Prædestinationis, quarum una sit ad gratiam, altera ad gloriam, neque necessaria est, neque admodum consona Augustino & SS. Patribus; certè Scholasticis antiquis incognita. Ita Suarez hic libro de prædest. cap. 5. numero 14. et si Vasquez disp. 91. num. 16. probabilem, & nonnullum etiam fundatum in Augustino habere censem. Probatur & declaratur. Primo enim absque ea distinctione sufficienter intelligi & explicari possunt omnia, qua de Prædestinatione aut Scriptura sacra, aut Concilia, Sanctique Patres docuerunt. Plus enim hi non docent, quam Deum prædestinare homines tum ad gratiam, tum ad gloriam, & vero ex parte causæ & modi prædestinandi, aliam esse rationem prædestinationis ad gloriam, quam ad gratiam, vt sequenti quæstione patet: subinde etiam prædestinationis ad gloriam expresse meminerunt, non ad gratiam; vel etiæ contra: sed hinc plus nō efficitur, quam prædestinationem habere plures terminos in adæquatos & subordinatos; neque omnium terminorum eandem esse rationem; neque etiam Santos Patres adæquatè semper Prædestinationem accepisse, in ordine ad omnes suos terminos, seu effectus: at verò duplē ideo Prædestinationem modo explicato constituantur esse, non magis conuincitur, quam si quis profectionem, seu viam duplē distinguat à duobus terminis, quorum unus sit ultimatus & mediatus, alter proximus & immediatus. Quare etiam neque apud SS. Patres, neque apud veteres Scholasticos duplicitis eiusmodi Prædestinationis distinctio, neque duæ prædestinationes à predictis terminis desumptæ, vspiam leguntur. Sola, quod sciám, Ecclesia Lugdunensis in libro aduersus Ioanitem Erigenam Scotum tomo secundo auct. Patrum, duas Prædestinationes, seu duplē prædestinationem admittit; at non eo sensu, quem hic

impugnamus, sed longe diuerso, desumprum nimirum à terminis plane contrarijs, & inter se minime subordinatis, salutis aeternæ, & damnationis seu supplicij aeterni, vt dictum supra quæst. 2. dub. 1.

¹⁹ Et ratio assertionis est. Quia, vt superius dictum, tendentia, seu transmissio ad aliquem terminum, non multiplicatur penes terminos subordinatos, sed disparatos tantum, vel oppositos; quia si subordinati sint, sám unus est propter alium, adeoque in ordine ad tendentiam aut viam, unum adæquatum cum altero terminum constituit; ex quo proinde vna, non duplex tendentia aut transmissio constituitur. At verò gratia, & gloria, respectu prædestinationis eiusdem hominis, vt in proposito loquimur, & intelligent etiam aduersarij auctores, cum sit quasi transmissio quædam ad finem supernaturalē, ex dictis q. 2. d. 2. sunt duo termini inter se necessario subordinati, quorum unus habet se per modum viæ, seu medij respectu alterius: Ergo penes eiusmodi terminos non est distinguenda duplex Prædestinationis, sed vna adæquata, quæ pro adæquato termino habeat & gratiam, & gloriam. Et confirmatur. Quia sola destinatio ad gratiam, si sit absque destinatione ad gloriam, non est prædestinatione simpliciter dicta: alioqui reprobi dici possent prædestinati: Ergo frustra & alienè à consueto modo loquendi Doctorum constituitur prædestinationis ad gratiam, distincta à prædestinatione ad gloriam. Consequentia probatur. Quia quando aliqua res duplex, velut à duabus speciebus unum genus diuidentibus dicitur, tum utriusque per se ac seorsim, atque etiam quando est diversa & sciuncta ab altera, debet conuenire nomen generis: quod in proposito minimè accidit, vt dictum.

D V B I V M II.

An bona etiam naturalia Prædestinationi, qualia sunt, eius existentia, vita, valetudo, vires, complexio, &c. sint effectus Prædestinationis eiusdem.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 2. 4. 5. & 9.

Bona eiusmodi naturalia omnia ad duas classes reuocari possunt; vt prima sit eorum bonorum, que adueniunt primum Prædestinato, iam secundum Esse naturale productio; altera sit existentia naturalis eiusdem; cum adiunctis & congenitis potentijs & proprietatibus, seu propensionibus naturalibus, ipsaq; adeo etiam complexione eiusdem, &c. Quo spectant etiam illa, quæ ipsam productionem eius extrinsecè circumstant, vt sunt tempus, locus nativitatis, adeoque parentes & patria; & præcipue qua boni, fideles, &c.

Assertio I. Omnia bona naturalia prædesti-

nati extrinseca & aduentitia , sive prædestinato iam secundum Esse suum naturale producto adueniant , sive eius natuitatem vel productionem extrinsecè circumstent , quæ prædestinato efficaciter profunt & conferunt ad aeternæ salutis consecutionem , effectus sunt prædestinationis. Hanc existimo esse communem sententiam Doctorum , quos dub. præcedent. pro assert. 1. citauit , & sumitur ex Sancto Thoma super illa verba ad Rom. 8. *Diligentibus DEVUM omnia cooperantur in bonum.* Et hic questio. 2. articulo 8. vbi ait : *sub ordine prædestinationis cadit , quicquid hominem promovet ad salutem , vel rationes proprie , vel aliorum , vel alia bona , vel quicquid huicmodi , sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Idem expresse & à fortiori docent Molina & Suarez pro sequenti assertione citandi. Ratio est. Quia prædestinationis est , aut saltem continet perfectam prouidentiam & ordinacionem , seu dispositionem omnium mediorum , quibus aliquis re ipsa & efficaciter consequitur vitam aeternam : talia autem media sunt hæc , de quibus loquimur. Ergo. &c.

2. Assertio II. Probabilius videtur , ipsam quoque existentiam seu productionem prædestinationis secundum Esse suum naturale , vñā cum omnibus adiunctis & congenitis potentijs naturalibus , ac temperamento & complexione naturali , quatenus hæc illi efficaciter conducunt ad salutem aeternam , esse effectum prædestinationis. Ita sentire videtur Heraeus in 1. d. 40. q. 1. artic. 2. in fin. vbi ait , ipsum etiam liberum arbitrium , prout natura ejus tendere in bonum , cadere sub effectu prædestinationis. Idem expresse docet Suarez lib. 3. de prædest. capit. 7. numero 5. & lib. 1. capit. 18. num. 13. & significat Molina , hic quest. 2. artic. 2. disp. 3. vbi ait. *Omnia uniuersim nomine effectuum prædestinationis comprehenduntur , quæ ad vitam aeternam , incrementum illius , aliquo modo conferunt ; de quorum numero sunt , complexio ad probitatem apta , bona educatio , aliorum orationes &c.* et si contrarium sentiat Vasquez hic disp. 93. c. 4. numero 27. vbi dicit , ipsum Esse naturale hominis , vñā cum adiunctis potentijs naturalibus , naturalem quoq; hominis constitutionem & temperamentum , nullo modo spectare inter effectus prædestinationis: eo quod donum creationis distinctum est à dono prædestinationis. Addi potest , quod prouidentia supponit existentiam subiecti , cui prouidet : est autem prædestination pars quadam prouidentiae.

3. Sed nihilominus assertio posita videtur probabilior ; et si ad modum loquendi hæc controversia potius , quam ad rem ipsam pertineat . Probatur primum ex scriptura , Sapiens. 8. v. 19. *Puer autem eram ingenuus , et fortius sum animam bonam.* Et cum essem magis bonus , veni ad corpus inconquinatum. Vbi Sapiens , ex peculiari munere , ad sapientiam diuinam opportunius conquirendam , obtrigisse sibi ait peculiares quasdam naturæ dotes ; quæ si eidem ad aeternam salutem contulerunt , quidn̄ ex prædestinationis munere ei obtigerunt ? Huc spectat illud Isai. 43. v. 7. *Et omnem , qui invocat nomen me-*

um , in gloriam meam creavi eum , formavi eum , & feci eum. Vbi significatur , ipsam quoque creationem & productionem hominis , ex efficaci intentione beatitudinis eidem conferenda profestam esse. Secundo probatur autoritate Sancti Thomæ , & corum , quos ille in eadem sententiam citat. Etenim hac quest. 2. articulo 2. in quo queritur , *An prædestination aliquid ponat in prædestinatione , cum obiecisset sibi S. Thomas obiectio secunda his verbis: Origenes dicit super illud Rom. 1. Qui prædestinatus est &c. (scilicet qui factus est ei secundum carnem) Prædestination eius est , qui non est , sed destinatio eius est , qui est.* Et Augustinus dicit in lib. de prædest. sanct. (vbi tamen hoc non invenitur) [Quid est prædestination , nisi destinatio alicuius existentis? Ergo prædestination non est , nisi alicuius existentis ; & ita ponit aliquid in prædestinatione :] Respondebat S. Thomas ibidē ad 2. [destinatio aliquando sumitur pro reali missione alicuius ad aliquem terminum ; & sic destinatio non est , nisi eius quod est. Alio modo sumitur destinatio pro missione , quam aliquis mente concipit ; secundum quod dicimus destinare , quod mente firmiter proponimus. &c.] Et sic destinatio potest esse eius , quod non est. Tamen prædestinatione ratione antecessionis , quam importat , potest esse eius , quod non est , qualitercumque eius destinatio sumatur.] Vbi plane videtur sentire , prædestinationem passiuē etiam eius esse personæ (de hac enim loquebatur obiectio) quæ ut sic in mente diuina Dei prædestinantis non supponitur existere : sicut cum aliquid animo destinamus facere , quod nondum existit , nec in mente proponentis supponitur existere ; sed quod ex vi priuam propositi nostri existentiam capiet.

Deinde ibidem art. 4. argum. 2. cum obiectum fuisset his verbis: [Electio est eorum , quæ sunt ; sed prædestination ab aeterno , est etiam eorum , quæ non sunt: Ergo prædestinatur aliqui absque electione :] Respondebat ipse: [Quando voluntas eligentis prouocatur ad eligendum à bono inse- præexistente , tunc oportet , quod electio si eorum , quæ sunt , sicut accidit in electione nostra. Sedin Deus est aliter , ut dictum est. Et ideo sicut dicit Augustinus (serm. 11. de verbis Apol.) Eliguntur à Deo , qui non sunt , neque tamen errat qui eligit.] Vbi rursus de personis prædestinatis sermo est ; quæ proinde dum prædestinatur in diuina mente , non supponuntur existere.

Rursus eadē quest. 2. a. 8. argum. sed contra , ait S. Thomas : [Dicitur Genes. 25. quod Isaac rogauit Deum pro Rebecca vxore sua , & dedid conceptum Rebeccae. Ex illo autem conceptu natus est Jacob , qui prædestinatus fuit. Non autem fuisset impleta prædestinatione , si natus non fuisset ; Ergo prædestinatione iuuatur precibus Sanctorum.] Quibus verbis indicat , Isaac preces contulisse ad prædestinationem Iacobi , ex parte effectus eiusdem , qui in praesenti aliis non erat , quam natuitas seu conceptio eiusdem Iacobi: sentit ergo , conceptionem Iacobi fuisse effectum prædestinationis eius. Denique hoc spectat quod ibidem in corp. vt superius dictum , vniuersim pronuntiat S. Thomas , sub prædesti nationem

nationem cadere, quicquid hominem promouet in salutem: atqui non dubium, naturalis etiam quandoque complexionis bonitatem; intellectus itidem ac voluntatis individuam perfectionem, multum sepe hominem promouere in salutem; saltem, remote disponendo, inclinando, facilitando ad bona quadam moralia: Ergo ex mente S. Thomæ complexionis naturalis bonitas, ingenij vis ac præstantia, & similia, possunt esse effectus prædestinationis.

Idem probatur ratione. Prima sumitur ex prædestinatione Christi hominis; qui cum sit exemplar nostra prædestinationis, prædestinatus est ad hoc ipsum, ut esset filius Dei naturalis, adeoque ut existaret homo Deus: Ergo existentiam Christi velut Dei simul & hominis non supponeret, sed efficeret eiusdem prædestinationis.

Secunda ratio sumitur ex modo, quo Deus, prædestinasse homines verisimile est. Si enim Deus ex intentione seu voluntate efficaci saluandi eos, qui saluantur, ipsos creavit, & complexionem dotesque naturales ad hoc oportunas concessit & indidit, tunc plane fatendum est, ipsam etiam existentiam cum potentis & dotibus naturalibus congenitis ipsius prædestinati, effectum esse prædestinationis: sed antecedens admodum verisimile est, & ratione consentaneum. Tum quia Deus in creandis & prædestinandis hominibus volens commendare bonitatem suam, erga electos, non potuit id alia ratione melius facere. Tum quia ita solent facere siguli & artifices, quando ob certum & designatum finem vasa conficiunt; ut scilicet, ex ipsa efficaci intentione eiusmodi finis, vas ipsum conficiant, saltem si finis eorum potestati subiaceat, & in particulari respectu huius aut illius effectus determinatus sit. Eodein etiam modo parentes, si in sua potestate filiorum generationem haberent, simul cum fine, quem in filiorum educatione optant & sperant, vtique animo destinarent, hunc filium ad hanc vitæ conditionem & dignitatem, alium ad aliam progenerare, &c. quod tamen ipsi ideo facere prudenter non possunt, quia nec generationem ipsam, neque fines, ad quos filios educant, in sua habent potestate, ut magis patebit quæst. 5. dub. 4.

Tertia ratio sumitur ex differentia inter Prouidentiam ac Prædestinationem. Nam illa quidem necessario supponit rem ut existentem, in præsencia æternitatis, seu iuxta conceptionem diuinæ mentis, ut dictum quæstione prima dub. 1. hac vero non item; quod sumitur etiam ex S. Thoma quæstione sexta, de Verit. artic. primo. Cuius discriminis ratio duplex est. Prima sumitur ex diverso modo, quo vtraque respicit personam seu obiectum, cui prouidetur, vel quod prædestinatur. Prouidentia enim respicit personam, cui adhibetur, solum tanquam obiectum Cui; & illi ut sic vult & superordinari alterius rei accessionem, velut obiectum Quod. Prædestination autem respicit personam, circa quam versatur, etiam ut obiectum Quod: vbi proinde non est necesse illud supponere, quin potius id ipsum quoque ut fiat & existat, ad prædestina-

tionis decretum spectare potest: sicut ob eandem causam, quia Prouidentia versatur circa media, ut obiectum Quod (haec enim prouidet) non supponit media, sed procurat & causat. Secunda ratio est; quia hoc ipso, quod prædestinationis est ordinatio seu destinatio efficax ad ipsum, quoque finem æternæ salutis, veluti terminum, ut dictum dubio præcedenti, non debet ipsa supponere, ordine saltem intentionis, rem, seu personam, ut existentem: cum eiusmodi finis sit primum in intentione, adeoque simul eadem voluntates ordinetur ad Esse propter suum finem primarium, ut recte etiam notauit Suarez citato capite 18. & pluribus diceretur quæstione quinta, dub. 4.

Denique negari non potest, etiam alia sepe opera creationis vel dispositionis, & gubernationis diuinæ, esse effectus prædestinationis electorum; ut colligitur ex illo cit. Sap. 8. Raptus est, &c. & Matth. 24. Propter electos breuiabuntur, &c. Cur ergo non etiam ipsa generatio seu productio electi?

Ex quibus etiam patet ad secundum fundamentum opposita sententia. Ad primum responderur, donum creationis nihilominus satis distingui à dono prædestinationis; non solum in subiectis diuersis, & quia latius patet donum creationis: cum etiam in reprobis locum habeat, & ipsi etiam prædestinati, quoad eas naturæ seu complexionis proprietates & qualitates, quæ efficaciter nihil conducunt prædestinato ad gloriam, ut sepe in parvulis accidit; sed etiam in eodem subiecto, quoad formale obiectum vtriusque. Creatio enim ut sic præcise, respicit ipsum esse naturale secundum se; prædestinatione vero non item; sed ut per modum subiecti, vel etiam medijs alicuius, ordinem haberet consecrationem efficacem beatitudinis.

Obiecies. Sancti Patres, cum de causis Prædestinationis contra Pelagianos differunt, idque vnicè contendunt, nullam eius causam in nobis dari, nunquam eo confugiunt, ut ipsam etiam primam creationem seu productionem prædestinati velut effectum prædestinationis illis opponant; cuius tamen facile vtique euincere, nullam causam meritoriam, vel etiam dispositiua ex parte prædestinati dari. Respondeo, hoc ad ipsorum institutum minime fuisse accommodatum: neque enim vt cunque contra Pelagianos probandum erat, nullam dari causam prædestinationis respectu omnium effectuum; sed non dari eam, quam Pelagiani ponebant, etiam respectu solius prædestinationis ad gloriam; nimur bona merita prædestinati, ex solis viribus naturæ & liberi arbitrij profecta, ut dicetur quæstione sequenti.

D V B I V M III.

An etiam defectus, seu mala Prædestinationi, tam pœna, quam culpe; aut saltem permisso

culpæ, sint effectus Prædestinationis eiusdem.

S. Thomas x. p. q. 23. a. 8.

Controuersia potissimum est de permissione mali culpæ, seu peccati, ut dicetur: sed ob similitudinem tamen argumenti, & ut tractatio sit plenior, vniuersum de malis seu pœnæ, seu culpæ differendum est.

Assertio I. Mala naturæ, seu pœnæ, sære sunt, & esse possunt effectus prædestinationis eiusdem: quoties nimis ea efficaciter profundit prædestinationis ad æternam salutem, eiusue augmentum. Hæc est communis sententia Doctorum, & aperata doctrina S. Thomæ hic quæstion. 23. articulo octauo, vbi ait, *süb prædestinationem cadere, quicquid hominem promovet ad salutem.* Probatur aperte ex Scriptura, Sapient. 4. versu 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Vbi ipsa etiam præmaturam prædestinationis, refertur inter effectus prædestinationis eiusdem. Sed & cæcitatatem illius cæci nati, quæ obtigisse ei dicitur, ut manifestetur opera Dei in illo, Ioann. 9. versu 3. quamque adeo illi etiam ad spiritualem salutem opportunè accidisse; ex Scripturæ historia ibidem liquet: (quod etiam de multis alijs ægris à Christo curatis, & sanatis, satis confit) non dubium est fuisse à Deo efficaciter præordinatum, tanquam medium, ad eius æternam salutem efficaciter procurandam. Huc spectat illud, *Compelle intrare;* pœnis scilicet infiictis, Luca decimo quarto versu vigesimo tertio, quod multis ad salutem profuisse, atque etiamnum prodesse, non est dubium, & testantur SS. Patres, prefertim Augustinus epistola 48. ad Vincentium, & 50. epist. ad Bonifacium. Ad hæc quis neget, martyriorum passiones fuisse media & effectus Prædestinationis ipsorum Martyrum à Deo ab æterno prædestinatos? Ratio est manifesta. Quia effectus prædestinationis est, quicquid ex efficaci intentione saluandi prædestinatum, à Deo ab æterno præordinatum & decreatum est, ex dictis dub. prim. seu quicquid à Deo simpliciter volitum, hominem promovet ad salutem, vt paulo ante ex S. Thoma vidimus: hęc autem mala & à Deo præordinata sunt, ut dictum disputatione 2. quæst. decima dubio penultimo; & hominem efficaciter ad salutem promouent, vt supponimus; Ergo, &c.

Assertio II. Peccata ipsa, seu mala culpæ, nullo modo sunt effectus prædestinationis; siue accipiuntur formaliter, siue etiam materialiter, ut sunt actus positivi; habentes tamen re ipsa annexam malitiam moralem. Ita ex communione Doctorum in prim. dist. quadragesima, & quadragesima prima. Suarez libro de prædestinatione, capite octauo, numero secundo. & Vasquez disputatione nonagesima tertia, numero septimo. neque de hoc videtur controværsia. Ratio prima partis est: quia omnis effectus prædestinationis est effectus ipsius etiam Dei, ut dictum dub. 1. at vero peccata formaliter non sunt effectus Dei: neque adeo etiam cadunt sub diuinam voluntatem, aut sciētiam approbationis, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. imo nec omnino prædefiniuntur à Deo, ut dictum supra disputatione secunda quæstionis decima, dub. penult. Ergo, &c.

Ratio secundæ partis est. Quia licet Deus ad actum peccaminosum, in quantum ens est, concurrat, non tamen concursu specialis prouidet; nec etiam ex se, ac quasi suapte propensione illum intedit; nec etiam absolute vult & præfinit, ut dictum supra disp. 2. q. 10. dub. penult. & pluribus persequitur Suarez lib. 2. de auxilijs grat. quinque prioribus capitibus, quicquid Thomistæ quidam recentiores dixerint: et si communis quadam prædestinationis notione dici possint à Deo, qua entia sunt, conditionatè quasi Prædestinari siue præfiniri, ut ibidem dictum. Accedit, quod eiusmodi actus peccati, cui malitia moralis adiuncta est, ex se impedimentum salutis est, ac diuinæ voluntati contrarius: quare licet ex altera parte possit esse occasio boni, non potest velut medium & adminiculum salutis à Deo prædestinari.

Consentientis his SS. Patres, qui plane negant, non solum peccata ipsa, sed etiam actus peccaminosus à Deo prædestinari aut præfiniri, ut dictum loc. cit. & supra quæst. 1. dub. 3. Optime S. Augustinus resp. ad artic. sibi falso impositos, articulo 10. [Detestanda, inquit, & abominanda opinio est, quæ Deum cūiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem; cuius prædestinatione nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. Vniuersæ enim via Domini misericordia & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas Virginum non instruere, nouit sancta Diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. Et artic. 14. Ad prævaricationem legis, ad neglegētum religionis, ad corruptam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualisque peccati, nulla est omnino prædestinatione Dei; nec fieri potest, ut per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur.] Quod si ex ipsis etiam peccatis, malisue actibus fructus aliquis salutis in prædestinatos redundant, satis est, Deū & peccata ipsa permettere, & ad actus malos, qua entia sunt, communis prouidens concursu concurrere. Quamvis autem, ut dictum, peccata non possint dici effectus prædestinationis, possunt tamen dicti prædestinationis materia circa quam: quia actus prædestinationis, vti sunt, ordinatio diuinæ paternæ castigandi peccata, item remittiendi, aut prohibendi peccata, versantur circa peccata veluti materiam subiectam, vti ars medicinae circa morbos.

Ilud hoc loco potissimum controværtitur, an saltem permisso peccati, seu proprij, seu alieni, possit dici effectus prædestinationis eorum, in quibus hæc ipsa permisso est occasio maioris, seu constantioris gratiæ; cum finali perseverantia coniunctæ; ut quidem ex accidenti esse posse, concedunt omnes; & expressè docent Anselmus & S. Thomas in illud ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; ubi Glossa addit.

addit, etiam peccata. Et quidem Vasquez d. 93. à n. 8. prolixè contendit, permissionem peccati nulla ratione esse effectum gratia, aut prædestinationis. Sed nihilominus est.

Assertio III. Probabilius videtur, permissionem peccati, tam proprij, quam alieni, effectum esse prædestinationis in ijs, quibus hæc ipsa permissione est occasio maioris, seu constantioris gratia, cum finali perseverantia coniunctæ. Ita Zumel hic quæst. 2. articulo 2. disput. vnic. Suarez lib. 3. de prædestinat. capit. 8. num. 4. eamque, vt ait, frequentius hoc tempore sequuntur moderni Theologi, præcipue Thomistæ, non solum iij, qui actus malos, qua entia sunt absolutè à Deo præfiniri docent, sed etiam alij. Idem indicant Anselmus & S. Thomas locis citat.

Probatur primò ex Scriptura, quæ significat, Deum quandoque ex singulari intentione salutis electorum, subtrahere gratiam, adeoque, permettere lapsum, seu proprium, seu alienum. Ita 2. Reg. 16. vers. 10. at David: *Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David;* & quis est qui audiat dicere, quare sic fecerit? Et infra vers. 12. *Dimitte eum, ut maledicat, iuxta præceptum Domini,* & forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodierna. Vbi præceptum Domini dicitur voluntas permittendi maledictionem Semei, efficaciter ordinata, ad salutem ipsius Davidis. Eodem modo 1. Tim. 1. vers. 20. quidam Satanæ traditur (etiam cum permissione lapsus) *ut discat, non blasphemare.* Certe si Deus vult permissionem peccati ex efficaci intentione salutis, sive eorum, qui peccant, sive aliorum, non potest negari eam esse effectum diuinæ prædestinationis eorum, quibus ea permissione ad salutem æternam confert.

Secundò probatur ex SS. Patribus, qui sepe docent, permissionem eiusmodi peccatorum à diuinæ voluntate procedere, in salutem electorum, ordinatam, yti dictum quæst. 1. dub. 2. Speciatim de proprii etiam peccatis loquendo, hoc spectat, quod ait Augustinus lib. 14. de ciuitat. capit. 13. *Audeo dicere, superbus esse usque, cadere in aliquod operum, manifestum peccatum, unde sibi displeaseant.* Et lib. de nat. & grat. cap. 28. *Deserit, inquit, aliquando Deus, unde superbus, ut scias non tuum, sed eius esse,* & *discas superbus non esse.*

Tertio accedit ratio. Nulla enim conditio ad effectum prædestinationis requisita huic permissioni deest: est enim effectus Dei (non tantum secundum quid, & cum addito, vt de actu peccato mino dicitum, sed etiam absolute & simpliciter) ordinatus ad supernaturale bonum prædestinati, ex efficaci intentione cum saluandi profectus, & re ipsa ad eum finem conferens, vt supponimus.

Obiicitur primo, Prædestinationem esse præparationem gratia, vt ex Sancto Augustino sibi us dictum: at verò permissione peccati non est gratia. Respondeo, per se & physicè quidem non esse gratiam; sed moraliter tamen loquendo, & per accidens hoc loco iure censi gratiam: yti sepe beneficium medici est, infligere vulnus, vt aliud grauius curetur.

Obiicitur secundò. Ad hoc, vt aliquid sit effectus prædestinationis, non solum re ipsa ut cunque ad beatitudinem conducere debet, sed etiam ex voluntate illius absolute præfiniri; quod circa permissionem peccati non accidit: aliqui pariter & à potiori, imò prius deberent præfiniri boni illi actus, qui supposito peccato, immediatus conducunt ad beatitudinem, vt sunt actus pœnitentia, passio, & mors Martyrum &c. Hoc autem dici non potest; quia inde consequens foret, Deum etiam velle & præfinire peccatum etiam formaliter; quod necessariò supponit pœnitentia. Sequela hæc probatur: quia qui ex se & absolute aliquid vult, necessariò vult etiam ea, quæ essentialiter ad id prærequiruntur.

Respondeatur primò, hoc videri parum consequenter dictum, & consentaneè ei doctrinæ, quam alias authores isti defendunt; siquidem merita prædestinati sunt effectus prædestinationis iuxta omnes; & tamen secundum, ipsos non prædefiniuntur in se ipsis ante determinationem liberi arbitrij; neque etiam prædefiniuntur ex efficaci voluntate salutis æternæ eorumdem; siquidem electionem ad gloriam, seu voluntatem efficacem & absolutam salutis electorum, volunt esse ratione posteriorem prædestinatione & prævisione meritorum, vt quæstion. 4. dicitur.

Respondeatur secundò, permissionem hanc plane procedere ex intentione efficaci salutis electorum, vt dictum; & vero etiam præfiniri ante prævisionem absolutam peccati: Si quidem ea nihil aliud est, quam negatio gratia præuentientis efficacis; cui subinde coniungitur etiam applicatio seu oblatio talis obiecti, vel occasionis inducentis ad peccatum, cum præscientia, quod homo ea occasione, sit male visurus: cuius Deus etiam vera causa esse potest, eamque etiam per se ac propriè velle, non quidem intendendo directè lapsum hominis; sed tantum præsciendo, & non impediendo, vt ex S. Augustino lib. 11. in Genes. ad lit. recte declarat Suarez loc. cit. num. 4.

Ad probationem oppositam respondeatur, etiam bonum illud ex peccati permissione consequens, tanquam aliquid magis principalerum volitum, & immediatus finem attingens, prædefiniri ante prævisionem peccati, si modo non habeat essentiale respectum ad peccatum. Cuiusmodi etiam bonum semper reperire licet in quauis permissione peccati, etiam quæ ad bonum ipsius peccantis accedit: vt est profundior humilitas; maius & firmius odium seu detestatio peccati; ablatio & fuga occasionum peccandi &c. Si vero bonum illud virtutis habeat respectum intrinsecum & essentiale ad peccatum commissum, vt est proprius actus pœnitentia; ne tum quidem defunt, qui dicant posse prædefiniri ante peccatum præsum; eo quod nulla hinc ideo peccati ipsius necessitas, aut in Deo voluntas efficaciter colligatur; idque indicat Heruæus in 1. distinct. 40. quæst. 1. attamen verius existimo cum Suarez loco citat. num. 13.

7

8

tales virtutis bonum à D e o non prædefiniri ante prævisionem peccati; siquidem talis præfinitio alias plane esset interpretativa quædam & virtutis voluntas ipsius peccati; ut bene probat obiecitio, & inferius quest. 5. dub. 6. rursus dicitur. Et quamvis Sanctus Augustinus sèpius indicare videatur, præscientiam peccati vniuersim

priorem esse illo bono, cuius peccatum erit occasio; id tamen vniuersim non de præscientia absoluta, sed conditionata intelligendum; ut pro ratione subiectæ materia ex ipso sermonis contextu colligi poterit, & rectè ducit Suarez numero 9.

Q V A E S T I O N E IV.

De Causis Prædestinationis.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 5. & 8.

Absolutur hæc questio quinque dubitationibus. I. An, & quanam sit finalis causa totius Prædestinationis, quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso fine reddi possit ratio ipsius Prædestinationis, tum in genere, tum in specie. II. An, & quare detur causa meritoria Prædestinationis ex parte Christi, seu generatim, extra Prædestinatum. III. Quanam contra varias heres certa sint, circa causam meritoriam Prædestinationis, ex parte predestinati. IV. Quid Scholastici nonnulli de Prædestinationis causa ex parte predestinati senserint. V. Quanam sit vera sententia de causa Prædestinationis ex parte predestinati: & an omnino detur aliqua causa meritoria, vel dispositiva, seu impetratoria, vel causa per accidens, sive occasio, aut saltem conditio sine qua non, totius Prædestinationis, ex parte predestinati.

D U B I U M I.

An, & quanam sit finalis causa totius Prædestinationis quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso fine reddi possit ratio ipsius Prædestinationis, tum in genere, tum in specie.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 5.

Explícatis effectibus Prædestinationis sequitur, ut eius causas inquiramus; de quibus magna iam olim cum hereticis; & nunc hodie, etiam nonnulla inter ipsos Catholicos est controvèrsia, ut dubio tertio & quarto explicabitur; postquam hoc & sequenti dubio, iuxta tituli vnicuique præfixi rationem, exposuerimus ea, quæ minorem habent difficultatem, nec admodum controvèrsia sunt.

Supponendum igitur ex dubio præcedent. cum prædestinatio sit actus immanens in D e o, ac proinde realiter idem cum ipsa essentia diuina; ipsius prædestinationis secundum se, & quoad entitatem suam propriè nullam dari causam: nec efficientem, quia in D e o nihil est factum: nec finalem; quia D e o propriè ad nullum finem ordinatur, nec ad seipsum quidem: nec materialem ac subiectuam; quia prædestinatio non est accidentis; nec in Deo vlla est potentia passiva: nec formalem; quia cum prædestinatio sit ipse D e o, & forma non formata, actusque purissimus, non potest ipsa habere aliam causam, formalem. Quo modo etiam Albertus in primum distinctione 41. quest. prima, ait: *Dicendum cum Augustino & Magistro, quod prædestinatio & re-*

probatio non habent aliquam causam: quia nec efficientem, nec materialem ex qua (vel in qua) neque finalem. Idem supponit Sanctus Thomas hic quest. 23. art. 5.

Supponendum secundò, dari tamen causas effectuum prædestinationis: quia nec effectus quidem prædestinationis essent, nisi causas haberent. Nec est aliqua difficultas de efficiente physica: constat enim, D e o esse causam efficientem, primariam omnium effectuum prædestinationis ex questione præcedent. dub. I. An & quanam sit causa efficientis secundaria, ex particulari ratione vniuersiisque effectus facile poterit esse manifestum, cogitanti. Neque de causa materiali, aut formali, est controvèrsia; siquidem illæ etiam ex propria ratione cuiusque effectus prædestinationis facile dignoscuntur & determinantur. Solum ergo est difficultas, tum de causa finali effectuum prædestinationis; tum de meritoria, seu motiva in genere; tam ea, quæ est extra prædestinatum, quam quæ est in prædestinato. Et in praesenti dubio solum agendum est de causa finali; & quanam ratione ex ea reddi possit ratio prædestinationis, tum in communi, tum in particulari quod quidem à no-

bis sc.